



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

Prosecutio Dedicacionis hujus Theologiæ Tripartitæ, novis Patronis ac  
Missionarijs verè Apostolicis Germaniæ, Angliæ, & Hiberniæ, qui pro Deo  
& Proximo vitam aut sanguinem recenter profuderunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

# PROSECUTIO DEDICATIONIS

Hujus Theologiæ Tipartitæ.

Patronis novis ac Missionarijs verè Apostolicis GERMANIÆ, ANGLIÆ, & HIBERNIÆ, qui pro Deo & Proximo vitam, aut sanguinem recenter profuderunt.



Nimadueto hos Fidei Pugiles quos recenseo universos, intra Assistentiæ Germanicæ limites, in Collegiis Societati commissis, hujus militia primitias possuisse: idque sub auspicijs Reverendissimi Patris CAROLI DE NOELLE tunc Assistentis Germaniæ per annos plurimos, nunc Societatis universæ Generalis, omnium suffragijs recenter electi: cui ad communem universorum gratulationem, par est ut hæc sacrorum Pugilum, ac suæ Provinciæ Flandrobælgicæ aggratulationis qualiscunque accedat.

Auspicium igitur à Te duco augustum Imperij Caput GERMANIA. Palæstram tibi Charitatis Apostolicæ gloriosam, & lauream multiplicem  
recenter

recenter præbuit non gladius carnificis , sed quovis ferro atrocior pestilentia , superioribus annis late grassata. Quanta hæc cum violentia Austriam , & Bohemiam undique invaserit , quot in ea Charitatis Victimæ ceciderint , nullâ debet unquam oblivione deleri : ex quibus ego ea tantum possum referre , quæ certissimis monumentis consignata , etiam ex Vrbe Romana , ad me devenere. In communi illa calamitate , tamquam in publico Charitatis theatro , inter alios , tam multi ex Societate Patres sese illicò ad pestiferorum subsidium certatim devoverunt , ut freno potius , quam stimulo opus fuerit. Ex quibus testantur suis literis ipsi Moderatores , in utraque seorsim Provincia ex Patribus plusquam centenos reipsâ in mediam aleam expositos fuisse. Sed nec frequentia præeuntium funera sequentes terruerunt : adeo ut ex illis in Austria quadraginta & unus , in Bohemia quinquaginta & unus , in hoc Charitatis obsequio vitam posuerint. Felices anima ! sive ego vos totidem Martyres incruentos , sive Charitatis supremæ victimas dixero , vos certè proximam martyrio lauream obtinuisse , orbis hodie Christianus merito gratulatur. Et sanè in Charitatis tam eximia publicam commendationem , data sunt in Urbem litera à sacris , urbanisque Magistratibus diserte profitentibus , vel maximum sese , vel totum inter tot mala subsidium in operarijs illis communi obsequio se ubique devotentibus reperisse. Hos Operis  
hujus

hujus novos Mecanates, hos Apostolicorum viro-  
rum in celo Patronos, hos futura posteritatis in  
hac Charitatis palestra Praesides, Tibi in tali  
prole ter felix Germania, deberi lubentes ag-  
nosimus.

Hinc in ANGLIAM, nobilissimum semper,  
nunc recentissimum Apostolicae gloriae theatrum  
properamus. Annis proximè elapsis, Missiona-  
riis Apostolicis, per Angliam & Hiberniam, à  
custodiis, carceribus, exiliis, patibulis, novum  
& immortale decus accessit. Intra solam ferè ur-  
bem Londinensem, in palmari causa Religionis,  
ex Societate omnino Octo illustres Hostia patibulis  
suffixa, & in quatuor partes dissecta, vitam suam  
Domino consecrarunt. Illustres, inquam, Ho-  
stia, quibus ad illam immortalis gloriae lauream  
dux simul & comes fuit ipse Societatis Anglicanae  
Provincialis Thomas Harcottus, aliàs Whitebred:  
atque ex eadem Societate eximii sanè viri, Guiliel-  
mus Waringus, Antonius Turnerus, Ioannes Fen-  
wickus, Ioannes Gavanus: & paulò ante hos  
Guilielmus Irelandus, & eos secutus Carolus Ba-  
kerus aliàs Lewis, & Philippus Evanus, hic Car-  
diffa, ille Iska, anno 1679. eandem lauream  
pari morte consecuti fuerunt. Horum omnium in  
publico supplicii theatro vox suprema fuit, se pro  
Religione Romanâ, & popularium salute, mil-  
le si haberent vitas lubentes profundere, atque ex  
animo Regi, ac Regno veram pacem, & felici-  
tatem

iatem apprecari. Quorum invictam in veritate constantiam, atque oris, animique alacritatem admirandam, non tantum Catholici, sed etiam ex haeticis plurimi undique circumfusi summo plausu ac praconio excepere. Ac paulo post orbis Catholicus, & ipse supremus Antistes plausum hunc late ingeminarunt. Prater hos fidei pugiles, octo alii ex sociis eadem tempestate ab haeticis comprehensi, & dirissimis carceribus confecti in pari causa, gloria non impari vitam posuere: nisi quod illi cruenta carnificis manu, hi incruento carceris squallore extincti fuerint. Si tamen fas est extinctos dicere, qui ex ipso obitu lucem accepere omni aeo duraturam.

Abierunt quidem illi ad caelestem Catum tot suorum Patrum in illa sanguinaria palaestra pridem purpuratorum. Sed & alii qui supersunt in eadem Missionis sociis, in exiliis, & ergastulis, laboris & gloriae partem non parvam reliquerunt. Nam praeter communem ibi Sacerdotibus Catholicis exilii poenam, habuit aliquid singulare Sociorum proscriptio, quod eorum potissimum delatoribus certa constituta sint praemia; novo argumento veteris in illos odii, tanquam in perpetuos Romanos, ac Pontificiae auctoritatis Asseriores. Vivant haec in posteris vegeta ac robusta Charitatis exempla: longe enim potentius argumenti genus est, pro Charitate vitam moriendo, quam vocem vel atramentum scribendo profundere.

Ad

Ad te nunc tractu non longo, tuo jure sprope-  
 randum HIBERNIA, quæ tot annis inter perpe-  
 tuas persecutionum procellas fluctuas semper, mer-  
 geris nunquam: hoc habes inter alia constantiæ  
 decora cum Navicula Petri commune. Hujus ar-  
 gumentum ingens præbet ipsum præsentis anni cur-  
 riculum. Sileo Præsules Illustrissimos Corcagien-  
 sem, ac Kildariensem, Religionis Romanæ odio in  
 diuturno carcere Dublini nuperimè detentos. Præ-  
 tereo Societatis nostræ ibi Superiorem Guilelmum ô  
 Rian ex eadem causa, eodemque loco per menses  
 plurimos arctè constrictum, ac demum extra Reg-  
 ni fines relegatum, ablegatis etiam aut coactis so-  
 ciis non paucis, & aliorum Ordium operariis præ-  
 cipuis, ac strenuissimis: ut solent Ecclesiæ hostes  
 firmissima ejus propugnacula fortius impugnare.

Sed vos quæ gens quæ lingua conticesset hujus  
 Ecclesiæ gemini Pugiles, & inter Apostolicos Mis-  
 sionarios Vertices supremi, PLUNQUETE, ac TAL-  
 BOTE Præsules Illustrissimi? Vos inquam, qui tot  
 carceres illustrastis, vincula decorastis, ac demum  
 illustri morte, gloria vestræ coronam imposuistis  
 immortalē, quam in sequentibus brevi saltem com-  
 pendio spectandam exhibemus.

Vita & Mors

Vita & Mors gloriosa Illustrissimi D.  
OLIVERII PLUNKETI Archiepisco-  
pi Armacani, & Primatis Hibernia  
extremo supplicio Londini nuper  
affecti.

**O**liverius Plunketus, ortus est ex nobili inter suos familia, cui ipse supremum vera nobilitatis apicem apposuit & Primatis dignitate, & mortis gloria. Adolescens cum esset, huic gloria praefulsit in immatura adhuc etate, praematurum vera sapientia desiderium. Hanc ut acquireret securius, extra patria sua fines proficisci decrevit, ut solent illius Gentis Adolescentes ingenui, qui quam domi adipisci nequeunt, apud exteros inquirunt sincera doctrina institutionem, Sapientia magis quam Patria studiosi. Hos ut sacros latices purius hauriret Oliverius, non dubitavit Romam usque ad ipsum sincerae doctrinae Fontem proficisci.

Est in urbe Romona nationis Hibernica Collegium, ab Eminentissimo Principe Cardinali Ludovico pridem constitutum, ac Societatis administrationi commissum. Floret illud hodieque plurimum, & in ipsa Vrbe multum celebratur ab Alumnorum delectu, institutione, ac eruditione excellenti, quibus dotibus redduntur passim omnibus amabiles,

& singulari probitatis & modestia caractere  
conspicui: Vnde fit ut ex eo Collegio hæcenus pro-  
dierint magno numero Viri illustres, ac maximis  
muneribus perfuncti, qui in patria sua Vineæ fru-  
ctus uberrimos protulerunt. In hoc celeberrimum  
orthodoxæ Fidei Seminarium cõoptatus est Olive-  
rius, in spem non modicam fructus eximii, quem  
præclara illius indoles promittebat. Et sanè fru-  
ctus ille communi expectationi ubertim respondit.  
Studia in eo Collegio omnia tanto successu perfe-  
cit, ut Doctoris in Theologia lauream adeptus fue-  
rit, ac postea ad eandem Facultatem publicè pro-  
fitendam in Collegio de Propaganda fide admotus,  
ubi munus illud duodecim annis summa cum lau-  
de exercuit.

Præbuit interea divina Providentia occasionem  
inexpectatam, per quam acquisitum tot annis soli-  
dæ Sapientiæ thesaurum in Patriam suam latius  
erogaret. Postulabatur interea à summo Pontifice  
Clemente IX. Præsul idoneus, qui Ecclesiam Ar-  
macanam cum suprema Primatis potestate in Hi-  
bernia administraret. Varii varios ad eam digni-  
tatem pro suo quisque studio offerebant. Demum  
sua Sanctitas, omnibus pro rei gravitate expensis,  
in hanc sententiam conclusit: Non est cur ulte-  
rius consulamus de incertis, quando rem certam  
ante oculos habemus. En virum probatæ virtutis,  
consummatæ doctrinæ, diurnæ experientiæ, in  
ipsa Urbis Romanæ luce omnibus dotibus conspi-  
cuum



cuum Oliverium Plunketum. Hunc ego Archiepiscopum Armacanum, hunc ego Hiberniæ Primatem Apostolicâ authoritate constituo. Nec mora, humeros oneri subjicit Oliverius, manus operi pari alacritate mox appositurus. Pergit igitur Apostolicâ authoritate ac monitis instructus, iter in Hiberniam per Belgium instituere, ubi cum & Ego illius alloquio fruitus essem, inter primos auctor fuit, ut hoc Opus in Missionariorum Apostolicorum subsidium elaborarem, quo etiam titulo singulari, illum sibi inter primos Patronos vindicare debet.

In Hiberniam ubi pervenit, ibi demum campum animo suo, & Apostolicis laboribus parem invenit. Quis valeat dicendo complecti, quantum illi insudandum fuit ut plurima in rebus ac moribus iniquitate temporum collapsa restauraret. Quantum industria adhibendum ut pluribus locis idoneos animarum Curatores præsiceret. Quantum laboris exantbandum, ut per latissimas Ultoniæ plagas, populum illum Romanæ fidei semper tenacissimum, oportunis ubique documentis confirmaret. Sed quod omnium maximè arduum, quantâ illi vigiliantia tot annis incumbendum fuit, ut Gregem suum ubique Lupis admixtum, ab eorum dentibus & erroribus illa sum conservaret. Inter hæc indefessi Pastoris officia dum strenuè versatur, id demum expertus est, difficile quam sit Oves protegere, & Lupos non irritare: & ab ipsis  
etiam

etiam Domesticis fidei insidias aliquando metuen-  
das esse. Hoc habet Hæresis commune cum conscientia  
furiis agitata, quod omnia timeat etiam tutissima,  
sufficit illi qualibet sui cerebri suspicio, ut mox ad  
calumniis, inde ad carceres & restes deveniatur.

Cum igitur alia non suppetere accusacionis ca-  
pita, adornantur criminationes occultæ, quibus hic  
tam validus Ecclesiæ Romanæ propugnator vel op-  
primi possit, vel extingui. Fingitur cum Curia  
Romana nimium commercii & notitiæ: in Aula  
Gallica authoritas & gratia: atque inde exter-  
na potestatis inducendæ conatus. Rapitur ergo in  
vincula Præsul integerrimus, & Turri Dublinensi  
sive novæ Portæ mancipandus traditur, ad diem 6.  
Decembris anno 1679. Cum verò ex Tribunali sibi  
adverso supremam sententiam assiduo expectaret,  
per integrum pœnè annum in eadem Custodia de-  
tentus est, nullâ in ipsum sententiâ prolatâ,  
certum sanè probatæ innocentie argumentum. Sed  
ubi sevit invidia, nec ipsa immunis est innocen-  
tia. Novæ igitur machinæ, novumque Tribunal  
excogitatur, quo nullum Catholico Præsuli infe-  
stius deputari potuit.

Itaque circa finem Octobris anno 1680. Lon-  
dinum deportatur, atque ibi arcto rursus carceri  
includitur, nec famulo quidem proprio ad allo-  
quium admissio. In illa custodia totis septem men-  
sibus detentus fuit, omnibus vitæ solatiis orbatus.

Sed

*Sed instar omnium erat illi Deus, & Mens recti conscia: adeo ut ad fidum Amicum non raro scripserit, se in illa solitudine nactum esse, quam maximè aiebat, liberam sibi, & sacris studiis vacandi facultatem.*

*Demùm sub diem tertiam Maji ad fatale Tribunal examinandus adducitur: proferuntur criminationes inanes, quas supra retulimus. Reposuit paucis Praesul modestissimus: Iniquam esse accusationem, ubi defensionis locus non datur: sibi autem à sua patria, testibus, tabulis, advocatis longè abducto, omnem defensionis viam intercludi. Post hæc rursus ad carcerem, suo tempore ad judicium revocandus dimittitur. Interea Praesulis optimi innocentiam vox communis eloquitur, sed non auditur: intercedit pro eo Legati Gallici autoritas & gratia, sed hæc quoque ut ingrata repellitur: frustra demum ipsa perorat aequitas, ubi ex adverso fremit accusantium iniquitas.*

*Tandem advenit decretorius dies, quo jubetur ante judicum tribunal consistere: inermis cum armatis, advena cum inquilinis, Praesul Catholicus cum iudicibus Catholico nomini infestis in iudicio congressurus. Quodque unum expectandum fuit, vicit demum innocentiam calumnia, vicit aequitatem perfidia, vicit illustrissimam viri virtutem, qua hanc semper sequitur & persequitur, invidia. Profertur igitur feralis sententia, qua jubetur ut laqueo suspensus, & in partes dissec-*

tus extremo perduellium supplicio afficiatur. Quanta animi alacritate hanc ipse sententiam exceperit, testes mihi sunt litteræ Præsulis Catholici qui tunc rebus ipse intime præsens fuit, in hanc sententiam. Testatus est de se Oliverius, cum pronunciata in eum esset extrema mortis sententia, nec minimam sensisse animi perturbationem, nec deinceps vel unicum quadrantem suæ quietis aut tranquillitatis amisisse: quin & nocte ante mortem supremam, adeo placide somnum cepit, ut cum hora quintâ matutinâ a quodam excitaretur, ut ad supremam luctam se componeret, paulò post intrepidè responderit: Ecce me, paratus sum totus, veniant iustitiæ satellites quando ipsis libitum fuerit.

Sed juvat audire ipsius sacri Præsulis verba Spiritu Apostolico plena ex ipso carcere post latam mortis sententiam, ex litteris datis Bruxellas ad Virum sibi usque ad mortem merito dilectum Gregorium Ioyce D. Gudula Canonicum 22. Iunii 1681. Lata est, inquit, in me mortis sententia, quam non timeo, nec quietis mihi quidquam eripit, sum enim tam liber ab omni conspiratione mihi imposita, quam infans unius diei. Quod ad characterem, professionem, & functionem meam attinet, eam publicè professus sum: & cum hoc sit motivum mortis meæ, morior libenter, uti nunc Præsulum Hibernorum hic primus, ita exemplum, divinâ fretus gratiâ, aliis daturus, talem mortem non formidandi. Sed unde mihi creatura mi-

X

serrima

ferrime tantum suppetit animorum, cum videam instante morte, ipsum Creatorem meum capisse pavere, & tedere? Considero sanè Christum suo timore ac pavore id meruisse, ut ego sim à timore immunis. Tempus mihi sufficiens educendi ex Hibernia testes negatum fuit: octo diebus serius advenerunt post latam in me mortis sententiam, quam lubens amplector, pro mea professione, caractere, ac functione moriturus. Expecto in dies adduci ad supplicii locum, ubi mihi intestina extrahenda sunt, & coram me igne cremanda, & demùm caput amputandum. Cupio lubenter dissolui, & esse cum Christo. Condoneo ex animo, & precor ut Deus condonet, omnibus qui quovis modo morti meæ causam præbuerunt. Ita ille in litteris postremis cygnæâ voce, & spiritu verè divino, morti jam propinqua præcinebat.

Die igitur primâ Iulii (stylo veteri) extremo supplicio constitutâ, humili trahæ de more impositus, concurrente hominum multitudine, Tiburnum extra Londinum ad consuetum supplicii locum adducitur, spectaculum illustre Deo, Angelis, & hominibus futurus. In celebri illo tot Martyrum theatro extremam scenam peracturus, concessâ loquendi facultate, ad populum undique circumfusum orationem habuit præmeditatam, & propria manu anglicè conscriptam, quam hic summam exhibeo.

A diebus aliquotante Regium Tribunal exami-  
natus

natus fui, & nunc brevi comparebo coram Regum Rege, & iudice supremo, qui nec falsis testibus falli potest, nec humano respectu seduci. Reddet enim unicuique secundum opera sua primum, vel pœnam sempiternam. Hæc cum veritas sit fidei indubitata, manifestum est; si ego in hoc mortis articulo aliquid veritati contrarium declararem, me mox damnationis æternæ sententiam incursum, à qua nulla datur ulterior appellatio. Veritatem itaque sincerè atque apertè manifestabo, abs-ulla verborum æquivocatione: mihi certissimè persuadens, nullam esse potestatem aut in terris, aut in calis, quæ mecum possit dispensare, ut protestationem falsam exhibeam.

Vi igitur Causa mea orbi universo clarius innotescat, observandum est, me in Hibernia coram iudicibus perduellionis accusatum fuisse. Verùm dum Accusatores animadverterent mihi facile præstò futuras tabulas, & testes, quibus & eorum nequitiam, & meam innocentiam evidenter manifestarem, subdlexerunt illi se, & ad hanc urbem convolarunt, ut iudicium ad hoc tribunal transferrent, in quo & mea persona, & accusatorum qualitas, & status causæ incognitus fuit.

Postquam hic per sex circiter menses arcto carcere detentus fui, tandem ad diem tertium mensis Maji accusationes in Hibernia pridem allatæ, hic coram aliis iudicibus rursus instauratæ fuerunt. Factum sanè rarum & peregrinum, vix à quingentis

annis visum. Sed cum mihi pauca septimana concessa fuissent pro testibus & tabulis adducendis, quae ex partibus variis longinquis, & ultramarinis iam brevi tempore expediri non poterant, duodecim ulterius dies pro iudicii prorogatione postulavi, qui mihi denegati fuerunt. His igitur destitutus, & manibus ad defensionem quasi ligatis, in iudicium protractus sum, & hominibus perjuris expositus, qui in vitam meam omni studio collimabant.

Capita Accusationis summatim fuerunt, de litteris missis ad Pontificis Secretarium, & quosdam alios, ut externos Principes ad Hiberniam invadendam sollicitarent: de alio ablegato ad Regem Galliae: de subsidiis à Clero in eum finem postulatis: de septuaginta millibus hominum ad talem expeditionem comparatis: de institutis ad hoc variis conventibus, & quidem semel à decem vel duodecim annis, trecentorum nobilium, ut sumptibus armis possessiones sibi ereptas recuperarent.

Cum horum singula nullam habere veritatis speciem, & mera esse figmenta ad calumniandum excogitata, manifestum fecisset: Demum protestatus est coram Deo, & per salutem aeternam, se nunquam istiusmodi litteras, agentes, aut sollicitationes sive in Urbem, sive in Galliam, aut alio quovis modo destinasse, nec ea sibi umquam in mentem venisse: imo ab omni rebellionem etiam minima contra Regem & Patriam semper toto animo abhorruisse. Denique tam aperte ridiculum esse

esse tanti exercitus apparatus, ut ipse cum Catholicis sibi addictis, agrè possit vel mediam legionem sustentare, idque cuius rerum non prorsus ignaro luce meridiana clarius patere.

Atque, inquit, ut magis appareat quam sincero solius veritatis amore hæc ego moriturus attestor, vobis hic palam notum facio, ex præcipuis Magnatibus unum curasse mihi declarari, se vitam mihi conservaturum, si alios vellem accusare. Cui disertè professus sum, me nullius umquam conspirationem novisse, & ut vitam hanc mortalem servarem, me nolle quemquam falsò accusare, cum præiudicio meæ salutis æternæ, quod minimè deceret meam personam, aut quemlibet virum Ecclesiasticum professionis Romanæ.

Hoc demum palam profiteor, me in Hibernia exercuisse functiones Prælati Catholici, ac conatum fuisse tam prædicando, quam docendo, adducere Clerum, & gregem mihi commissum ad normam, & mores suo muneri competentes: in quo si aliquid mihi acquisitum sit invidia, meminisse debeo, in Collegio Apostolorum aliquem etiam Iudam extitisse. At ego cum lapidato Stephano pro accusatoribus meis toto animi affectu precor, Domine statuas illis hoc peccatū. Nec minus oro pro meis iudicibus, & aliis qui quocumque modo morti meæ cooperati fuerunt. Veniam vicissim supplex deprecor ab omnibus quos ego in meâ vita verbo, aut opere umquam offendi.



Rogo insuper divinam Majestatem & omnipotentiam, ut concedat Regi nostro, Reginae, Duci Eboracensi, ac Regiae familiae vitam diuturnam, omnemque prosperitatem in hoc mundo, & in altero felicitatem aeternam.

Ad extremum, uti meam innocentiam in criminibus mihi objectis satis manifestam feci, utinam pari facilitate possim me eximere ab omni reatu contra Majestatis divinae praecepta, quae ex toto corde doleo me saepius violasse: firmissimèque statuo ac propono tuam (mi Deus) fretus gratiam, etsi ad annos mille vitam protraherem, divinam me bonitatem numquam offensurum. Tuamque rogo Majestatem infinitam per Christi merita, perque intercessionem sanctissimae Matris, omniumque Angelorum, ac Sanctorum, ut mea mihi peccata remittas, & hanc animam meam ad requiem recipias sempiternam.

Haec cum ingenti spiritu ac pietatis sensu protestatus fuisset universa, & manu sua subscripta reliquisset, consuetam subiit carnificinam, laqueo primum strangulatus, capite dein amputato, & corpore in quatuor partes dissecto. Corpus ut honesto ritu sepeliretur Rex concessit, qui fertur de ipsius morte non modicum sensum habuisse. Populus certè undequaque circumfusus summo animorum sensu ipsius innocentiam, Christianam constantiam, & incredibilem mortis contemptum ita deprædicavit, ut plurimi palam affirmaverint, etsi  
ad

ad annos centum vixisset, numquam sibi, Deo, Patria sua, ac Religioni Romana tantum gloria consequi potuisse.

Rodat sese infelix, invidia ut Innocentiam opprimat: conspiret haeresis ut fingat Conspiraciones: summa Ecclesia capita in odium fidei violenter excutiat: sed vel sic Ipsa conteret caput suum. Vera namque Christi Religio, uti ab incunabulis inter insidias crevit, inter insectationes adolevit, sic per eadem de Invidia & Haeresi latius semper triumphabit.

*Vita & Mors beata Illustrissimi Domini PETRI TALBOTI Archiepiscopi Dublinensis in Hibernia in Custodia Dublini nuper obita.*

**P**etrus Talbotus, familiâ fuit illustris in vita exortu, illustrior in progressu, illustrissimus in occasu. Originem duxit ex nobilissima stirpe Comitum Salopiensium in Anglia, postea in Hiberniam propagatâ, ubi illius majores in Equestri ordine variis muneribus claruerunt, & quod clarissimum est, in Religione Catholica semper constantes extiterunt. Adolescens doctrinâ ac virtutis desiderio impulsus in Lusitaniam profectus est, ubi litteris operam dedit anno salutis 1635. etatis suae anno 15.

X 4

Ad

Ad superiora alacri constantiâ progressus, Philosophiâ ac Theologiâ studia insigni profectu emensus est sub disciplina Societatis partim in Lusitania, partim Romæ, ubi & sacris Ordinibus initiatus fuit. Inde reversus in Lusitaniâ, & paulo post progressus in Belgium, Aula Anglicanâ eâ tempestate illic cum Rege residenti charus, & oportunus exiit. Non multo post tam Regis, quàm Religionis perquam studiosus in Angliam perrexit, ubi demum inter Regina Eleëmofynarios cooptatus, munus illud singulari cum laude & integritate exercuit. Post aliquot annos in Hiberniam commigravit rei Catholicæ in conditione privata operam navaturus. Sed illius conspicua virtus, ac doctrina singularis non potuit diu sub modio latere, quæ etiam scriptis pro re Catholicâ in lucem editis reddita est ubique illustrior. Replevit viri fama jam pridem Angliam, collustravit Hiberniam, in exteris quoque Regnis inclaruit, ac tandem ad Romanam etiam Aulam ejus splendor emanavit. Hinc Sede illâ vacante multorum votis postulatus, à summo Pontifice Clemente IX. Archiepiscopus Dublinensis creatus fuit, & Gandavi in Belgio consecratus.

Inter varias temporum procellas Gregem sibi commissum pastorali sollicitudine & vigilantia curavit, ac protexit. Sed dum oves proteguntur, Lupi Pastorem invadunt. Periculum ab his adeo increvit, ut maluerit se ad tempus subducere, quam nocituras Gregi turbas suâ causa concitari. Itaque cedens tempori

tempore se in Gallias recepit, Parisiis ab omnibus in honore habitus. Sed nec ibi destitit Ecclesiam suam litteris, & aptis pro tempore documentis à longè administrare: inter quæ extat, Epistola Pastoralis ad Catholicos in Hibernia de officio & solatio patientium subditorum, typis tradita Parisiis anno 1674. Nec desunt alia ejusdem opera diversis temporibus edita. De natura fidei & hæresis, Antverpiæ anno 1657. Politicorum Catechismus ad hos instruendos divina fide & morali honestate, ibidem anno 1658. De nullitate Ecclesiæ Anglicanæ Protestanticæ, Bruxellis anno 1658. Tractatus de Religione & Regimine, Gandavi, anno 1670. Historia Iconoclastarum, Parisiis anno 1674. & alia contra Stillingfletum & Albiium ibidem impressa.

Post aliquod temporis intervallum, mitigatâ potius quam sedatâ tempestate, in Hiberniam regreditur, ubi Ecclesiæ suæ negotia componere, Catholicos confirmare, hæreticorum artes eludere omni ope conatur. Verùm ægri horum oculi diu lucem ferre non valent. Odiosa illis erat viri industria, suspecta authoritas & gratia: hinc, ut fit, quod quisque formidat, id aboleri desiderat. Instituuntur igitur in tribunali hæretico accusationes occulta, suspiciones invidiosæ, & cetera artes opprimendi justum suis operibus contrarium: maximum denique in hoc judicio crimen, Catholicæ Sacerdotis doctrina, nomen, officium, authoritas.

Demum Praesul optimus, & conscientia bona testimonio confusus, ab impiis satellitibus ex improviso comprehenditur, & ad publicum Carcerem innocens damnatur. Hic quidem tenebatur strenuus Christi athleta diuturnam custodiam arcte conclusus, sed pastoralis animi libertatem non custodes, non carceres, non vincula constrinxere, suorum magis, quam sui sollicitum.

Interea dum haeretici Tribunalis sententiam (quae plerumque feralis esse solet) per plures menses magna animi aequitate expectat, corpus animo impar gravi infirmitate concutitur. Luctatur Christi miles cum morbo corporis, cum pudore carceris, humanis perfidiis magnam ex parte destitutus. Solum supererat magna mentis & innocentiae solatium. Tandem per hanc carnificinam tam multiplicem ac diuturnam, mortem quam securis non attulit in satellitum custodia securus invenit, eodem demum translatus, ubi legitime certantibus promissit Dominus coronam justitiae.

At vivet in perpetua posteritatis memoria, vivet in aeterno Beatorum Praesulum catu, Praesul Illustrissimus, cui gloriosi certaminis lauream nulla hominum injuria, nullus Haereseos astus aut invidia surripere potest. Falleris nimium caca crudelitas: quidquid agas, quidquid moliaris, semper fuit, semper erit sanguis Martyrum semen Christianorum. Hujus documentum tot saeculis dedit ac futura est, fida semper Deo, ac Regi Hibernia.

Epi-

## Epilogus.

**V**obis quos recensui universis, Apostolici Pugiles, vobis in celo Patronis non tantum hujus Operis exigua moles, sed Europa simul tota gratulatur. Tristem in vos, ac cruentam machinata est Hæresis tragædiam: cruentam consequi potuit, tristem non potuit. Obstupuit ipsa Impietas frontis latitiam, mentis constantiam, & ipsum ferale pegma, in theatrum honoris conversum. Excepit plausum mortis, exordium vita, inter lata in calis trophæa semper duratura.

Latere & tu sorte tua tot fidei Pugilum fœcunda semper parens Anglia. O quot hæctenus Ecclesia, & Cælo Machabæos una peperisti! Sed adhuc nec fracta, nec sterilis, nec effata, nova semper gloria novam sobolem administras. Crescunt tibi sub Hæresi ferro armata anni luctus & doloris, sed nec minus accrescunt cum meliori fœnore novi semper monumenta decoris. Cernis quidam sub carnificis manu cladem non raram charorum pignorum, sed quot spectas funera, tot numeras trophæa. Pati nosti, nescis superari: premi sustines, nunquam opprimi: lacerari potes, sed sine funere: concidi potes, sed sine vulnere: quin ab ipso cadentis ferro altius assurgit tua laurus, & victoria. Hæc tibi Palastra quamvis cruenta, aded nunc in gloriam versa est, ut nunquam in ea sive triumpho deceris

decertes. Ter *felix* Tiburnum, tot, tantorumque triumphorum illustre theatrum. Non ego te dicam cruentum supplicii locum, sed lacteam ad calum viam! non funestum mortis sepulchrum, sed gloriosum vitæ exordium, non triste Calvarium, sed campum Elysium.

Hæc tua rursus gloria est, tali prole *felix* Anglia, & tuæ gloriæ *consors* Hibernia. *Felix*, inquam, Anglia, non vasto maris imperio, non opibus ab orbe extremo advectis, non classibus vincinesciis, non candida pacis beato otio: sed potius purpureis tot Pugilum tuorum triumphis, orbe toto, caloque celebratis.

Spectat quidem è propinquo Hibernia tot cognata Gentis cruenta & gloriosa certamina, sed ipsa nec incruenta, nec ingloria. Offert illa sese non Anglicæ potentia, non opum, non imperii æmulam, sed Catholicæ Constantiæ Sociam, ac consortem. Habet illa domi assiduam patiendi palæstram: habet non rara tuendæ Fidei cum insidis certamina. Ambit tamen adhuc nobilissimum illud Tiburni theatrum, & in eo tot recentia sacrorum Pugilum vestigia. Hæc ut illa suo quoque sanguine condecoraret, Athletam ex suis non rudem, non ignobilem, sed supremum sacra militiæ Præsidentem ac Primatem transmisit. Quanto ille animi robore, quàm invictâ fide & constantiâ scenam illam peregerit, nos pro viribus supra exhibuimus, nec ulla deinceps Gens aut lingua conticescet.

Sed

Sed nec adhuc hi sacri Pugiles pedem ex arena retulerunt. Vivunt etiamnum, & in posteris spirant novi Oliverij, novi Harcotti, qui priorum exemplo non fracti, sed roborati; non terri, sed animati, indictum Hæresi bellum fortius instaurabunt. Non desunt porro Germaniæ sua Aquila, non Angliæ, non Hiberniæ sacri Leones, qui Christi Ecclesiam tueri non desistent. Fortia quidem sunt Hæresi arma, enses, restes, catasta, secures. Sed fortiora sunt Fidei Clypeo munita pectora: hæc enses in lauros, restes in torques pretiosos, sanguinem in purpuras, secures in coronas convertent. Hæc ab exordio militantis Ecclesiæ experta est Impietas, hæc ætas nostra recentibus jam exemplis toties comprobavit, nec ab his se degenerem sera posteritas exhibebit. Ita voyet qui supra

Cliens Humillimus

Richardus Arsdekin

SOC. JESU. ANNO 1682.

Annotatio



*Annotatio præclara ex Emin. Cardinali Casare  
Baronio circa prædicta.*

**J**Uvat hic breviter annotare tam circa hos fidei Athletas quos recensui, quam circa alios: Ad veram Martyrij coronam apud Deum obtinendam, nihil officere inanes prætextus ad mortem inferendam Hæreticis omni tempore familiares. Dum scilicet odium suum in Catholicam fidem, Pontificem Romanum, ejusque affectas & defensores palliare nituntur sub ficto nomine conspirationis in Regem aut Regum, conjurationis cum Papa, aut alijs Principibus Catholicis: ne ex iniqua Catholicorum laniena incurrant apud externos odiosum nomen tyrannidis, aut eos irritent ad vindictam de injurijs personis Ecclesiasticis, aut Reipublicæ Catholicæ illatis. Sic certè primis Ecclesiæ sæculis, ad Fideles Christi opprimendos, Imperatores ethnici illos fingebant authores incendiorum, bellorum, cladum, eluvionum, aliorumque eventuum etiam naturalium: nec ideo apud Deum & Ecclesiam martyrij lauream amiserunt. Et quamvis hoc sæculo iisdem artibus Hæresis ab initio in Romanæ Religionis affectas grassata fuerit, non ideo minus eorû gloria à summis viris, salvo Ecclesiæ judicio passim celebratur. Instar omnium hic erit judicium gravissimum Eminentissimi Cardinalis *Casaris Baronij* in suis Annalibus, dum occasione S. Thomæ Cantuarienensis ad hæc tempora digneditur, cujus verba solidissima subijcio.

*Videre meruit sæculum nostrum, ex hac parte felicissimum, quam plurimos Thomas, Sanctissimos Sacerdotes, aliosque nobilissimos viros Anglicanos, ampliori*

ampliori (liceat dicere) martyrio coronatos, duplicif-  
 que tituli coronis auctos: cum non solum, ut Tho-  
 mas, pro Ecclesiasticâ libertate, sed pro fide Catho-  
 licâ tuendâ, restituendâ, ac conservandâ nobilissi-  
 mo Martyrio occubuerint: ut inter alios, quos nuper  
 Sancta Societas IESV velut agnos innoxios in Sacris  
 septis, Sanctis eruditionibus ad Martyrium accep-  
 tissimas Deo hostias saginavit; quos Romanum,  
 quos Rhemense sacra Collegia, quæ dixerim celsas  
 turres à facie Aquilonis, & fortissimâ propugnacula  
 fidei, emisserunt ad triumphos, provexerunt ad coro-  
 nas. Macte animo, macte virtute Anglicana iuven-  
 tus, quæ tam illustri militiæ nomen dedisti, ac Sa-  
 cramento sanguinem spondidisti. Æmulor sanè vos  
 Dei emulatione; cum vos Martyrii candidatos, ac  
 nobilissimæ purpuræ Martyres designatos aspicio:  
 Compellor, & dicere: moriatur anima mea morte  
 Iustorum, & fiant novissima mea horum similia.

Quod Baronius in particulari expressit, & nos  
 hic subinde attigimus de Societatis personis aut  
 alumnis, non minus locum habent in alijs Viris  
 tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, ad quorum  
 necem præ cæteris odium Catholicæ Religionis  
 incitavit: quales fuerunt hac ipsâ persecutionis  
 tempestate in Anglia, nobilissimus Vicecomes  
 Guilielmus Staffordus, & clarissimus ille Advocatus  
 Richardus Langhornus, qui in extremo supplicij  
 loco Religionem Romanam professi sunt, nul-  
 lamque aliam ex objectis criminationibus sibi  
 unquam in mentem venisse. Quo in genere haud  
 dubium est fuisse alios, qui hic ad nostram noti-  
 tiam non devenerunt.

INDEX

